



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**


Paraphrases in Epistolas & Exegesesis in Euangelia, vnà cum suis  
sermonibus, require in tomo secundo de festiuatibus Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

pati. Hoc modo studiose cogitemus immolationem Christi eiusque charitatem. Aliud est quod gaudendi est nobis quoque in passione Domini materia, & hoc bifariam. Si quidem autem ipsi gratulabimur seu congaudebimus patienti seu passio, aut nobis. Si ipsi grandis certe nobis gaudiorum occurrit & materia & occasio. Nam gratulemur ei oportet quod Ecclesiam quam sibi desponsauit, hanc precioso sanguine suo redemit, quod Patris impleuit obedientiam, quod mortem vicit, quod tristitia superauerit omnia, quod de diabolo ac morte triumphauit, ac tandem victoriosus sibi gloriam obtinuit. Si verò nobis ipsi gratulamur, exultabimus quidem, quod per eius passionem ab inferno redempti sumus, quod filij Dei ex filijs diaboli efficiamur, quod heredes efficiamur regni caelestis, quod ex potestate liberamur diaboli, & cunctis bonis per Christum implemur. Dixi igitur, tam gaudendi quam tristitiam nobis euenire ex meditatione passionis Christi materiam. Veruntamen quia tempus est tristandi, tempus quoque gaudendi, ea quae tristitia sunt, & ad fletum prouocant, in die Parasceues absoluiamus. Hodie quae gaudij sunt, ex Christi morte & resurrectione nobis euentura tractemus. Hoc namque modo rectè nos conformabimus Christo, vt in tristibus cum eodem simus tristes, & in laetis gaudentes. Vos charissimi, qui hoc sacro tempore non tam Pascha celebrastis, quam ipsi comedistis, puta agnum Paschalem, viuentem & verum Dominum nostrum Iesum Christum, idque sacramentaliter, quod ad eius corpus sub speciebus panis constitutum, id agite, vt quem deuoti suscepistis, non indignè rursus à vobis expellatis. Indignior autem nulla ex amici expulsio, quam ea qua amicus à se expellitur: amici verò hostis ad illius contumeliam, ad se quasi illius loco introducit, & quando fidem quam ad amicum quondam habuit quis, illiusque dona ab eodem recepta, ad illius conuertit hostem eiusque obsequium. Quod à nobis omnibus auertat Iesus Christus Dei Filius in aeternum benedictus, Amen.

PRO FERIA II. SOLENNITATIS PASCHAE  
Paraphrasin in epistolam, & Exegetis in Euangelium  
vna cum suo Sermone, require in Tomo secundo de festiuitatibus sanctorum.

DOMINICA IN OCTAUIS PASCHAE,  
Epistola, I. Ioannis V.

 Mne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et haec est victoria qua vincit mundum, fides nostra. Quis autem est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam IESVS est Filius Dei. Hic est qui venit per aquam & sanguinem IESVS Christus. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant

X X 3:      in ter-